

basse licentiam meam, cum respondere debuisses ad formam, et ego non semper illo utor, nisi cum aliquid grandiusculum adorior familiariter cum amicis. Post hac autem ex quo michi nota est mens tua, illum inconcusse servabo, etiam si de minimis et inutilibus quibuscumque scriptitari contingat. Sic igitur fiat, ut quod nos decet sequamur; alii viderint quid deceat illos sequi.

Petr. Var. 32  
ed. Fracas.

Ut autem ad reliqua epistole tue responsum dem paucis, sentio omnia vera esse que scribis. Scio nobis cum sorte nostra luctandum, quoque acrius urgemur humanis erroribus, eo virilius resistendum,  
 40 nec labori cedo, testis est conscientia mea, memor quod generosos animos nutrit labor, neque cedere vellem, si facultas afforet. Vellem tamen si qua electio data esset, ut labores moribus et discipline nostre congruerent, utque quod medicorum est facerent medici, tractarentque fabrilia fabri, ut Horatius Flaccus ait. Nam quid, oro, Ep. II 1, 116.  
 nobis comercii est cum barbaris his, cum quibus omnis litteratura insipientia est, et omnis prudentia insania quedam? Queror, amice, ut cum honestius graviusque officium nos deceret fortasse, circa servilia quedam et frivola et inter ignaros lingue latine evum agimus inamenum; intelligis quid velim dicere: non gravat labor, at  
 50 gravat laboris impertinentis varietas, nec ad id aliud possum remedii querere, quam amplecti pacientiam, de qua Flaccus idem: Carm. I 24, 19-20 durum sed levius fit patientia quicquid corrigere nephias est.

Vale igitur et pro me ora ne succumbam tandem ingrato labori. Si rarius scribo, aut brevibus et incultioribus verbis, parce queso occupationibus meis, parce tedium, de quo plura tecum proxime questus sum. Parce denique ingenio in aliena terra versanti, et obinde non mediocriter ebatato. Illudque Nasonis adverte: Si qua vide- Tr. III 1, 17.  
 buntur, etc. [Euripi, 1381?].

## 29.

*Eiusdem ad eundem. <sup>a)</sup>*

[Vat. c. 102 v].

Succinte pridie scripsi, care frater, admodum pauculis verbis, et quia tempus se tunc non aliter obtulit, et quia nil habui, quod

<sup>a)</sup> Cfr. a pagg. 87-8, 106, 150.